

Dixi, *per se*. In praxi enim non sunt de peccato mortali arguendi ii omnes, qui huiusmodi verba proferunt. Nam certum est, teste experientia non paucos praesertim rudes malitiam gravem in illis non apprehendere (11). Attendat igitur Confessarius imprimis ad varias poenitentium circumstantias. Quidquid autem sit, cum debita prudentia satagere debet, ut pravam hanc consuetudinem, in quantum fieri poterit, in poenitentibus penitus destruat.

304. — QUAER. 3^o *An sit blasphemia maledicere creaturis?*

Resp. Disting. Est blasphemia maledicere creaturis cum relatione ad Deum v. gr. pluviae, ventis, ut a Deo imperatis, vel addito verbo *Dei*, item maledicere creaturae, quae de se specialem relationem ad Deum habet, v. gr. animae nostrae, Fidei catholicae, coelo et similibus. Secus autem, ut fere contingit, si indignatio feratur in creaturas sine relatione ad Deum. — *Ita communiter* — S. Lig. n. 128.

QUAER. 4^o *An sit blasphemia maledicere toti mundo?*

Resp. Affirmat. S. Lig., quia sicut iurare per creaturas, in quibus magis relucent attributa divina, est verum iuramentum, ita ipsis maledicere est vera blasphemia, quia Deus in ipsis *indirecte* contemnitur. — S. Lig. n. 129. — Reipsa tamen vix talis sensus animo haec proferentis occurrere solet.

305. — QUAER. 5^o *An sit blasphemia maledicere mortuis?*

Resp. Neg. nisi mens specificè feratur in animas purgatorii; quia mortui in genere non habent specialem relationem cum Deo (12). — S. Lig. n. 130.

(11) Quae cum ita sint, prudens ne fuerit consilium recentiorum, quos Auctor paulo antea appellat, scriptorum, ut impenso studio fidelibus suaderent, blasphemiam prorsus inesse in iis verbis, quae *per se* reipsa non sunt blasphemia et insuper in hunc finem exquisita subtilitate verbis sensum illum affixerint, de quo vulgus nunquam forte cogitaverat, ac blasphemiam, quam in verbis non inveniebant, rimari conati fuerint saltem in intentione etiam mere implicita, viderint sapientiores. Illud sane compertissimum est, nec Dei gloriae et honori, nec animarum saluti

bene per hoc consuli, quod gravis criminis conscientia praeter necessitatem fidelibus iniiciatur. Etsi enim forte sic obtineatur, ut quispiam interdum ab ea verborum forma temperet; at sane hoc lucro nullatenus compensatur et gravis Dei nostri offensa et gravis animarum pernicies quae huic dictamini ceu novo laqueo importune iniecto, prorsus debentur.

(12) Indoles huius maledictionis reipsa est convicium in vivos conicere et contumeliis ipsos impetere non vero mortuis mala imprecari, hosve iniuria afficere.

CAPUT II.

DE IURAMENTO.

306. — DEFINITIO. Iuramentum est invocatio (1) divini Nominis in testimonium veritatis (2).

DIVISIO. Distinguitur iuramentum

1^o *Assertorium* vel *promissorium*, prout veritas (3) tantum asseritur, aut promissio seu pactum confirmatur.

2^o *Solenne* vel *simplex*, prout fit forma iure requisita, solemnibusve caeremoniis, aut iis seclusis (4).

(1) Per hoc potissime iuramentum a voto differt, cuius essentia in sola *promissione* consistit.

(2) Alii ut melius explicent duplicem iuramenti finem, dicunt, iuramentum esse *invocationem divini Nominis in testimonium vel ad fidem dictis faciendam, vel ad confirmandam promissionem.*

(3) Alii ad iuramentum tum veri tum falsi comprehendendum definiunt *assertorium, quo praesentia vel praeterita affirmantur vel negantur*; nam promissorium, uti patet, solum ad futura sese porrigit. Quamquam non omne iuramentum de futuro est *promissorium*. Duplex enim a DD. distinguitur iuramentum de futuro: aliud *nudum* ac *simplex*, quod nullam continet erga alterum promissionem, v. gr. si iures, te non ingressurum hanc domum vel cauponam, etc.; aliud vero *promissorium*, quod est *confirmatorium promissionis* vel erga Deum quod est *votum iuratum*, vel erga proximum, quod obligationi iustitiae aut fidelitatis ex promissione ortae addit obligationem ex virtute religionis.

(4) Clerici, praesertim sacerdotes, *solenne* iuramentum interponere non possunt, nisi de Episcopi licentia, quae gravi solum de causa conceditur.

(*) Cum sollemne profertur iuramentum, solet in quibusdam acatholicis regionibus codex biblicus adhiberi ab ipsis acatholicis editus, quem tangit iurans eoque

tactu Auctorem S. Scripturae in testimonium invocat veritatis. Quaeritur an catholico liceat hoc pacto iurare.

Si codex biblicus haereticorum profertur in contemptum Bibliorum catholicae Ecclesiae vel in protestationem haresis, manifestum est id non licere. Si haec absint, codex tamen biblicus sit substantialiter vitiatum iuxta haeresim illius sectae, per se non licet eo tacto iurare; nam haec foret quaedam communicatio in re sacra cum haereticis et praeterea perinde foret ac Deum traducere auctorem falsorum bibliorum, Auctor enim scripturae in testem invocatur. Et quamvis corruptio codicis biblici non sit substantialis, si tamen corruptiones adsint ab haereticis profectae ideoque sit codex proprius sectae haereticae, etiam tum per se non licet ad eius contactum iurare, ne communicatio aliqua cum haereticis in re sacra habeatur.

Diximus, *per se*; nam necessitate intercedente iurandi, si aliter fieri nequeat, vitium purgari potest, protestatione adhibita quod super eo codice iuratur quatenus tantum verum Dei verbum adhuc continet, vel quod iuratur tantum super iis partibus, quae cum vera scriptura concordant.

Ceterum si catholicus coactus iurare fraudem haereticorum ignorat nec sine damno prohiberi potest et scandalum abest, relinquendus est in bona fide.

Habemus haec de re instructionem S. C.

3^o *Explicitum* vel *implicitum*, prout Deus expresse in testem invocatur, aut adhibentur in testimonium creaturae, in quibus attributa divina specialiter relucent (5).

Accedit etiam iuramentum *imprecatorium*, quo Deus invocatur simul in testem et in vindicem periurii (6).

Iuramentum debitis vestitum conditionibus honestum est et licitum, et si promissorium sit, obligat in conscientia, nisi iusta causa obstet vel legitime obligatio eiusdem cessaverit. — *Ita omnes* et constat tum ex definitione Conc. Const. sess. 8. contra Wiclefum tum ex praxi universali Ecclesiae et populorum, necnon ex variis Sacrae Scripturae locis. *Deuter*, 6. 13: *Dominum Deum tuum timebis... ac per nomen illius iurabis*. — S. Lig. n. 133. 139. et seq.

P. F. datam 8. dec. 1869. pro pluribus Indiarum regionibus, in quibus catholicos oportebat super Bibliis a Protestantibus corruptis iuramentum proferre. Itaque interrogata S. C. respondit: « Omnes vicarii Apostolici, in quorum missionibus usus huiusmodi adhiberi consuevit, diligenter curent, ut Anglo-Indicum gubernium libertatem fidelibus relinquat iurandi super S. Scripturam ab Ecclesia catholica receptam. Quoad usque autem id a civili auctoritate non obtinuerint, prudenter taceant, si viderint fideles super Biblia haereticorum iuramenta praestare, dummodo de licito iure iurando agatur. Interea doceant S. Congregationem, an Biblia haereticorum, pro iureiurando exhibita, sint substantialiter corrupta, an exhibeantur ut a catholicis probentur, an Vulgata nostra latina excludi soleat: demum a quibus et in quibus circumstantiis ac pro quo obiecto huiusmodi iuramenta exigantur ».

Nota corruptionem substantialem codicis Bibliorum duplicem distingui posse, quatenus vel errores quoad fidem et mores aut substantiam historiae sint inducti vel quatenus partes aliquae, puta libri deuteri, sint avulsae.

Hoc alterum vitium in re nostra minus efficit; nam tandem ut super S. Scripturam iuretur, opus haud est integrum votum Bibliorum adhibere; nihilominus

quatenus usus illius codicis professionem continet, quod ea tantum sit S. Scriptura, quod haereticum est, non licet. Sed facile in necessitate vitium purgabitur, si catholicus protestetur se super illum codicem iurare quatenus verum Dei verbum continet, non quatenus partem eius excludit.

(5) Monent DD., iuramentum *per creaturas, per caelum*, v. gr. *per terram* etc. usurpandum a personis dumtaxat perfectioribus ac spiritualibus, quibus facile sit debitam adhibere reverentiam, qua Deum in creaturis honoramus. Caeterum apud nos ista consuetudo non viget; et si quis v. gr. iuret *per solem*, censetur iocari.

(6) Communis est et haec distinctio iuramenti in *contestatorium* et in *execratorium* seu *imprecatorium*. Controvertitur autem, an quando quis confirmat falsum iuramento imprecatorio, *quo se vel aliquid ad se pertinens* (ut ait S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. aa. 3.) *ad poenam obligat* accedat altera species malitiae contra charitatem nempe sui aut proximi. Negant autem DD. communius, quia non solet quis sibi aut suis tale malum ex animo imprecari, sed potius cogitat, Deum non facturum esse. Ita S. Alphons. (lib. 3. n. 140.) qui mox (n. 142.) monet, ex communi sententia *omnia iuramenta esse eiusdem speciei*.

ARTICULUS I. — DE CONDITIONIBUS IURAMENTI.

I. *De requisitis ad essentiam iuramenti.*

307. — Duo requiruntur ad iuramentum, scilicet 1^o Intentio iurandi saltem virtualis; quia sine tali intentione non potest existere iuramentum formale (7). 2^o Formula iuratoria, sive per Deum *explicite*, sive *implicitate* per creaturas; quia, cum Deus invocetur ut testis, necesse est, ut hoc in iuramento exprimatur. — S. Lig. n. 134.

308. **Resolves.** — 1^o Non valet iuramentum promissorium fictum seu mere externum, ob voluntatis seu intentionis defectum. Peccat vero sic iurans; sed *probabilius per se* loquendo venialiter tantum, quia non est nisi mendacium cum vana nominis Dei usurpatione (8). — S. Lig. *Hom. apost.* n. 17. Saepe tamen hoc mortale est ratione damni communis vel particularis.

2^o Non valet *probabilius* iuramentum factum cum animo quidem iurandi, sed non se obligandi ex religione; quia hoc nugatorium est. Valet autem iuramentum factum cum animo iurandi quidem sed non se obligandi ex iustitia aut ex fidelitate.

3^o Est iuramentum dicere: *Iuro per Deum, per Sanctos, templum, crucem, altare, Evangelium, Fidem catholicam, Ecclesiam, caelum, terram.* — Item dicere: *Deum attestor... Sit mihi testis Deus... Deum invoco ut testem.* Secus, si quis iuraret per creaturas, in quibus non elucet *specialiter* divina bonitas aut potentia. v. gr. per barbam, etc... — S. Lig. n. 134. 138.

4^o Non est iuramentum dicere: *Novit Deus... Coram Deo loquor, etc...*, si haec *narrative* proferantur; secus vero, si *invocative*, quod dignoscitur ex circumstantiis, vel intentione loquentis. Nec est iuramentum dicere: *Est tam verum hoc, quam existit Deus..., quam ego existo...*,

(7) Ad iuramenti valorem adeo intentio iurandi confert, ut si animus hic adsit vere (pro foro interno) quis iuret, licet verba minus idonea sint ad exprimendam Dei invocationem, ideoque apud alios (sicut et in iuramento per actum mere internum) revera non iuret; et contra, deficiente ea intentione, nullum sit iuramentum etiamsi verba sint iuratoria, sive intentio illa desit ob dolum fidei iurantis, sive ob ignorantiam nescientis quid sibi actus iurandi velit. Laymann (lib. 4. Tr. 3. cap. 1. n. 3.); Suarez (*De Relig.* Tr. 5.

lib. 1. cap. 11. n. 2.); Croix (lib. 3. p. 1. n. 258.).

(8) Habes de hac re Prop. 25^{am} proscriptam ab Innoc. XI: *Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi sive res sit levis sive sit gravis.* Caeterum S. Alphonsus tum l. c., tum lib. 3. n. 172 docet utique cum communi sententia venialiter peccari, sed limitat, si fide sic iurans alioquin *habet animum implendi promissa; nam secus, dicit mortaliter peccari.* Rationes vide apud Sanchez (*Decal.* lib. 3. cap. 6. n. 8.-10.).

quam sum in hoc loco..., fide boni viri (9)..., per fidem meam..., per conscientiam..., moriar... vel diabolus me perdat, nisi ita (10). Imo nec est iuramentum iuxta S. Ligorium, dicere: *Iuro vel iuro ita esse*, nisi praecesserit interrogatio de iuramento praestando. — S. Lig. *ibid.*, et alii multi.

II. De requisitis ad liceitatem iuramenti.

309. — Triplex conditio requiritur ad liceitatem iuramenti iuxta illud *Jeremiae* 4. 2.: *Iurabis: Vivit Dominus, in veritate, et in iudicio, et in iustitia.*

I. Itaque requiritur *Veritas*, id est conformitas assertionis cum intentione et cognitione iurantis. Excludit igitur omne mendacium, non vero omnem errorem. In iuramento assertorio veritas respicit existentiam facti; in promissorio existentiam intentionis (11).

II. *Iudicium*, id est, ut cum discretionem, prudentiam, considerationem ac reverentiam, nec sine necessitate aut gravi causa fiat.

III. *Iustitia*, id est ut iuramentum sit de re iusta, licita et honesta: sic contra iustitiam iuraret, qui iuramento se obligaret ad damnum proximo iniuste inferendum, vel ad quidpiam aliud prohibitum. — S. Lig. n. 144. (12).

(9) Idem dicendum de presbytero interponente *fidem sacerdotalem* aut *sancram consecrationem* (C. *Si quis presbyter*, 4. Casus 2. Quaest. 5.) aut de Regibus seu Principibus, etc., qui loco iuramenti spondent *in fide seu per fidem Regis, Principis, militis*, etc.

(10) De his S. Alphonsus (lib. 3. n. 143.): *Verba, Occidar, si hoc non est, et similia, quamvis sint vera iuramenta, si per modum execrationis dicantur... caeterum communiter non continent, nisi quamdam sponsonem seu poenae obligationem.* Adhibenda ergo regula, quam A. praemittit, nempe ut inspiciantur tum verba, tum etiam usus, et circumstantiae ac loquentis intentio. Facilius autem Dei invocatio atque adeo execratio subintelligitur, ubi de eventis agitur, quae ex communi hominum sensu disponi ac dirigi speciali Dei providentia censentur.

Aliis formulis S. Alphonsus (l. c.) etiam hanc addit: *Ita faveat mihi Deus*; et allegat Salmanticenses Tr. 17. c. 2. n. 27.

Sed non sic habent Salmanticenses, sed ita: *Melius mihi Deus faveat*: quod valde differt.

(11) In iuramento *promissorio* includitur etiam *assertorium*; nam et testem quis Deum vocat, sese nunc habere intentionem seu voluntatem faciendi, quod promittit, et eundem Deum promissi quodammodo fideiussorem adhibens ex virtute religionis assumit obligationem de promissione implenda. Aliquis tamen posset iurare solum de proposito seu intentione praesenti, v. gr. iuro, me nunc voluntatem habere Romam sequenti mense eundi; quod sane propositum sine periurio dein quis frangeret. Laymann (lib. 4. Tr. 3. cap. 4. n. 4.).

(12) Iustitiam plures DD. requirunt non solum in iuramento *promissorio*, sed etiam in *assertorio*, cum hoc tamen discrimine, quod in promissorio defectum iustitiae videntur considerare quoad rem iuratam, in assertorio autem quoad ipsum iurandi actum.

310. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quaenam sit causa sufficiens ad iurandum?*

Resp. Quaecumque causa honesta alicuius ponderis, v. gr. pax confir-

Et hic Salmanticenses (Tr. 17. cap. 2. n. 45.-47.), quos sequitur S. Alphonsus (lib. 3. n. 146.), facta quaestione, an iustitiae defectus grave peccatum sit etiam in iuramento assertorio, affirmantem inducunt Sotum cum Toletis, Ledesma et Aragonio, quibus opponunt Suarezium cum Sanchez, Tamburini aliisque; et hos sequi se fatentur, excepto casu gravis detractionis iuramento confirmatae. Verum haec discordia inter DD. est plane imaginaria. Nam Sotus (*De Iust. et Iur.* lib. 8. q. 1. art. 3.), Aragonius (in 2. 2. q. 89. art. 3.), et De Ledesma (*Sum. hisp. Tom. 2. Tr. 11. cap. 2. dub. 4.*) peccare eum dicunt, qui occulta revelans crimina iuramento ea confirmat; sed num graviter an leviter peccet, non dicunt: Toletus vero (lib. 4. cap. 21. n. 8.) grave vel leve peccatum pro ratione materiae habet: et quidem isti advertunt, omne abesse peccatum posse, si iusta causa adsit v. gr. iudicii occultum crimen cum iuramento revelandi. Suarez vero (*De Relig.* Tr. 5. l. 3. cap. 12. n. 7.-8.) cum Sanchez, aliisque, quorum sententiam S. Alphonsus probabiliorum dicit, generatim levem esse culpam censet quia res iurata supponitur vera et solum deest in iurando iudicium. Excipit tamen iuramentum narrationi veri criminis additum ad maiorem ipsi fidem conciliandam quia sic iuramentum uti medium ad iniquitatem assumitur.

Diximus discordiam doctorum esse plane imaginariam. Sane haec iuxta Salmanticenses in eo residet, quod defectum iustitiae in iuramento *assertorio alii* GRAVIS *alii* LEVIS CULPAE DAMNANT. Porro missum nunc fiat, quod imaginariam esse hanc dissensionem evincerent vel illi, qui solent allegari. Auctores, Navarrus nempe, Bonacina, Concina, Collet, Potestas et Voit; quippe qui generatim tenent, *peccatum*

esse grave vel leve (ut ait Bonacina) *pro gravitate vel levitate materiae.* Sed isti omittantur, quippe qui, ut nonnulli quoque (ibid.) advertunt, non satis determinant statum quaestionis.

Melius determinatam quaestionem sic habet Marcus Struggl. (Tr. 5. q. 3. art. 1. n. 9.) ubi quaerit, *quale peccatum sit iuramentum ex defectu iustitiae.* Et respondet: *Iuramentum assertorium de re iniusta, si assertio est iusta non est peccatum: quia res iniusta est obiectum solum materiale et extrinsecum iuramenti... Sic igitur testis potest in iudicio iurare, Petrum commisisse homicidium... Si autem ipsa assertio est graviter iniusta, etiam iuramentum tamquam confirmatio illius est graviter iniustum; si autem illa est leviter iniusta, etiam iuramentum est confirmatio leviter iniusta. Unde ille, qui alterius crimen occultum propalat, eumque graviter infamat, et commissum crimen iuramento confirmat, iurando peccat mortaliter; qui autem propalat alterius crimen leve, et commissum iuramento confirmat iurando peccat venialiter.*

Non minus clare Petrus Catalani (*Th. Mor.* part. 2. q. 9. cap. 4. n. 6.): *Dicendum secundo, defectum iustitiae in iuramento assertorio esse gravem vel levem non a re gravi vel levi asserta, sed a modo asserendi gravi vel levi, scilicet ex animo pravo magis vel minus, quo Deus adducitur in testem rei assertae...; ut securior et firmior reddatur ob tuum pravum finem. Quare si finis, ob quem iuramento assertorio uteris ut medio, est mortalis, mortale iuramentum erit; si vero venialis, veniale iuramentum erit. Sic Sanchez, Suarez, Castropalaus. Hinc si proximo*

manda in familiis, maior securitas in contractibus..., etc. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 14.

detraxis graviter, detractionemque iuramento confirmas ob finem graviter nocendi illi; grave peccatum ultra detractionem ex defectu iustitiae in iuramento committeres: assumeres namque iuramentum ut medium ad firmandam gravem iniquitatem. Si vero leviter proximo detrahis etc.

Hic vero subit scitari: Quid est, quod hic pro hac doctrina allegantur Suarez et Sanchez, quando Salmanticenses dicunt, hos stare pro culpa levi contra Sotum, Ledesma, et Toletum, quasi isti stent pro culpa gravi? Sed ulterius, quid, quaeso, de hac re Toletus? Ecce (*Sum.* lib. 4. c. 21. n. 8.): *Circa iustitiam advertite, non sat esse verum iurare, ut iuramentum sit licitum, sed cum iustitia iurare, id est non debet homo iurare illud verum, quod revelare peccatum est. Si quis enim occultum crimen revelaret alicuius, ipsum infamando, peccaret, quamvis verum diceret, quia contra iustitiam facit: et si hoc verum iuraret, iterum peccaret. Est autem hoc iuramentum mortale, cum iniustitia, supra quam iuratur, mortalis est; est autem veniale, cum iniustitia venialis est.* Hucusque Toletus. Numquid haec dissentiunt vel minimum ab iis, quae, teste Catalani, docent Sanchez et Suarez?

Quid vero et Sotus? Oculis tuis videas. Postquam (*De Iust. et Iur.* lib. 8. q. 1. art. 3.) retulit Caietani opinionem, quasi iustitia non sit comes iuramenti assertorii, subdit: *At vero forsitan rectius et assertorio quoque (iustitia) censeatur proprie convenire. Nam iustitia proprie non solum ad rem iuratam spectat, verum et ad iurandi causam, ut in solutione secundi ait S. Thomas... Unde si ego crimina civis omnino occulta sub iuramento asserens de-*

tego, certe iuramentum est iniustum... At si iure et more requisitus illa revelo, iustum fit meum iuramentum. An forte subsumes, Sotum profecto intelligendum esse de peccato mortali? — Resp. Id admittetur, quando ipse ostenderit, quidquid est iniustum, ex mente Soti ex toto genere suo esse peccatum mortale.

Ex Ledesma haec referuntur: *Sed si iustitia altero sensu accipiatur, semper ipsa licitum assertorium iuramentum comitatur; quandoquidem si causa, quae ad iurandum movet, non est iusta, iuramentum assertorium erit iniquum.* Visne etiam Ledesma habere ut grave peccatum quidquid non est iustum? Ergo non concludas, iure Salmanticenses eam doctrinam Ledesmae attribuisse. Nam vigilanter in Nota supradictum est, et Sotum, et Ledesma, et Aragonium peccari in casu dixisse: sed num graviter, an leviter, eos non dicere: nec seopus aut Soti, aut Ledesma hoc ulterius exigebat.

Quod vero recte Catalani communem hanc doctrinam tribuat Sanchezio, patet ex istis (*Dec.* lib. 3. c. 4. n. 33.). *Clarius Sotus, Aragon., Petrus de Ledesma, Toletus aiunt, ad iuramenti assertorii honestatem exigi comitem iustitiam, nec hanc solum attendi ex parte rei iuratae, sed etiam ex parte causae iurandi, ac proinde iniustum esse iuramentum, quoties illo detegitur iniuste crimen proximi. Adduntque Sotus et Ledesma non minus esse iniustum hoc iuramentum, quam cum res iniusta facienda promittitur iuramento. Et Toletus, hoc peccatum esse mortale, quando assertio iurata est mortalis, et veniale, quando est venialis.* Quae quidem Sanchez addit, se admittere, eaque teneri etiam a Sayro et Suarezio.

QUAER. 2^o *An liceat iurare cum probabilitate veritatis?*

Resp. Neg., quia Deus nequit invocari nisi in testimonium rei certae; at-

Huc usque dicta satis perspicua videri possunt ac porro debent, et simul etiam sufficientia ad suadendum, imaginarium esse Auctorum in hac quaestione dissentium. Praestat tamen etiam innuere, unde nam occasio oborta sit confusionis, quam apud Salmanticenses haec quaestio praefert.

Fuerunt nimirum, qui iustitiam iuramenti comitem latius protenderunt. Hinc illud Tamburini (*Decal.* lib. 3. c. 4. §. 4. n. 5.): *Iustitia in eo consistit, ut id quod iuratur, honeste et sine peccato iuretur... hic enim iustitia non sumitur stricte pro virtute reddendi unicuique suum, sed late iuxta illud: Oportet me implere omnem iustitiam.*

Id autem sic explicat Sanchez (l. c.): *Iuxta aliquorum sententiam quoties quis iuramento assertorio affirmat rem, in cuius assertione est culpa letalis commissa; tunc eam asserendo est, praeter illam culpam letalem assertionis, alia culpa letalis iuramenti defectu iustitiae. Et si in assertione committitur culpa venialis, est alia venialis ratione iuramenti, sicut in iuramento promissorio contingere diximus. Subiicit autem sic exempla (ibid.): Ut si quis absque iusta causa occultam gravem proximi infamiam detegat, eive mortalem contumeliam dicat, id iuramento asserens; aut iureiurando proprium mortale crimen cum illius iactantia, aut delectatione referat; ultra peccatum letale detractionis, contumeliae, iactantiae, delectationis, est mortale id iuramentum defectu iustitiae.* Allegat autem S. Thomam (2. 2. q. 89. a. 3. ad 2.), Caietanum (ibid.), et Valentia (2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 3.), qui tamen mere dicunt, iuramenti iustitiam spectare ad causam iurandi, et exemplum a Valentia tactum refertur ad iustitiam stricte talem.

Quidquid vero de hoc sit, certum est etiam Suaresium *iustitiam* iuramenti comitem lato illo sensu considerasse, de quo diximus. Pro diversis autem circumstantiis seu hypothesisibus, diversum de reatu assertionis ita fert iudicium. *Licet*, inquit (*De Iuram.* lib. 3. c. 12. n. 7.), *narratio sit de peccato mortali, saepe ipsa non est peccatum saltem mortale, quia non fit complacentia in illo, nec cum iniuria tertii, nec cum scandalo: imo si illa narratio habeat honestam causam vel necessitatem, poterit nullum esse peccatum; si vero leviter fiat, tantum erit de se peccatum veniale. Ergo iuramento firmare illam, vel nullum est peccatum, si ad bonum finem cum utilitate vel necessitate fiat, vel solum erit venialis culpa.* Quod attinet vero ad iniuriam tertii, quam abesse in hoc textu supponebat, nihil cunctatur affirmare, gravem per additum iuramentum culpam accedere. *Excipiendum*, inquit (ibid. n. 8.)..., *nisi malitia ipsa pravae narrationis per iuramentum augeatur, ut si quis v. gr. infamet proximum contra iustitiam narrando veritatem occultam, et ut probabilior fiat infamia, iuramentum adiungat. Videtur enim tunc augeri graviter malitia contra religionem, et irreverentia in Deum, ita ut hoc titulo necessarium sit circumstantiam illam in confessione explicare; quia nomen Dei assumitur quasi instrumentum ad faciendam iniuriam gravem proximo, quod gravem iniuriam Dei continet.*

In diverso autem iudicio pro hypothesis diversitate ferendo Suaresium utique secuti sunt et Sanchez et Tamburini, qui proinde in narratione alicuius gravis peccati iuramento firmata cum Suaresio docent, levem intercedere culpam posse. Verum id non impedit, quominus uterque quoad

tamen certitudo quaedam moralis sufficit. — S. Lig. *Hom. apost. ibid.* (13).

QUAER. 3^o *An liceat iurare cum restrictione mentali?*

Resp. Neg., si sit *pure mentalis* (14); secus vero, si *late mentalis* sit,

quaestionem communiter ab AA. propositam, de qua sup. diximus, cum iisdem AA. omnino conveniat. Et de Sanchezio quidem id superius vidimus. Quoad Tamburini vero, id patet ex hisce eiusdem verbis (l. c.): *Qui ergo aliquem v. gr. infamaret cum iuramento... iuramentum iustitia carens, Confessori specialiter praeter infamiam aperiendum committeret... quia sumere Dei testimonium tamquam medium ad inique agendum, est... irreverentia contra Deum... Quid, si iniqua actio detractionis solum sit venialis? Respondeo, fore iuramentum venialiter temerarium.*

Concludamus id itaque, quod ex praemissis hisce manifeste patet: Quando idem est quaestionis subiectum, uti esse vidimus quoad iuramenti iustitiam stricte sumptam, Suarez et Sanchez et Tamburini etc. admissim cum Soto, et Ledesma, et Toletus etc. concordant. Ergo imaginaria est dissensio ac pugna, quam inter illos confinere Salmanticenses. Quando vero Suarez et Sanchez et Tamburini etc. iustitiam iuramenti comitem lato sensu sumunt, dum Sotus et Ledesma et Toletus, etc., iustitiam iuramenti comitem presso tantum sensu accipiunt, nulla pugna intercedere inter eos potest, quia diversum est quaestionis subiectum. Rursus igitur patet, dissensionem inter eos a Salmanticensibus iactatam esse plane imaginariam.

(13) S. Alphonsus (lib. 3. n. 148.): *Sufficit aliqua certitudo moralis, sive quaedam probabilitas, quae ad quamdam certitudinem moralem pertingat... Imo Sanchez cum Valent., Suar. ac Salm. cum communi expressius aiunt, sufficere in iuramento sive assertorio sive promissorio probabilitatem veritatis assertae vel impletionis exequendae rei*

promissae; modo, intelligendum, non habeatur ratio probabilis in oppositum.

(*) Tamburinus in *Decal.* l. 3. c. 2. §. 1. monet, non omnem eam probabilitatem, quae in communi ratione loquendi a mendacio excusat, excusare in iuramento: quam animadversionem exemplo declarat. Si sciat pium quendam sacerdotem consuevisse quotidie celebrare, potest sine reatu mendacii dicere, cum hodie celebrasse, etsi nihil positive noveris de hodierna eius celebratione, sola praesumptione fretus: iuramento id affirmare non potes. Sane adest aliqua probabilitas oppositi, cum tot possint occurrere, quae impediunt celebrationem: qua probabilitate existente non permittit S. Alphonsus iuramentum.

(14) Hue ex communi sententia spectant Propositiones 26^a et 27^a ex damnatis ab Innocentio XI. Imo ad restrictionem mentalem stricte et pure sumptam S. Alphonsus revocat etiam Prop. 28^m, quae sic sonat: *Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, potest cum restrictione mentali praestare iuramentum, quod de mandato Regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

Verum alii censent (Vid. *Viva ad Propositum* 28^m Innocentii XI, n. I. et III.), hic comprehendi casum restrictionis etiam non pure mentalis. Nam casus huiusmodi dari, in quibus etiam a non pure mentali restrictione abstinendum sit, DD. communiter consentiunt; quod sic innuit et Cardinalis Lugo (*De Fid.* disp. 4. n. 67.): *In quibusdam casibus est procul dubio obligatio abstinendi ab equivocationibus, et usurpandi verba in eo sensu, in quo ab auditoribus accipiuntur.* 1^o Quando

ex iusta causa (15). Vide dicenda de octavo praecepto n. 442. et seq.

QUAER. 4^o *An liceat praestare iuramentum in publicae rei perturbationibus?*

Resp. Hoc plerumque a circumstantiis pendet. Perpende, quid postulet iustitia, aut bonum commune, et quaenam sint iuramenti requisiti obligationes, utrum positivae an negativae? (16) — Potissimum vero expedit

ex illo errore auditores in aliquod grave incommodum inciderent; et tunc obligatio erit ex virtute fidei vel religionis, quando error, quem conciperent, esset contra fidem: sicut quando esset contra iustitiam vel castitatem aut alias virtutes, usus amphibologiae indirecte esset contra has virtutes. 2^o *Quando ratione officii tenemur aliquem instruere et docere vera, ne erret: et eo magis, si pretio vel stipendio accepto ad id tenemur.* 3^o *Quando contractus onerosos et mutuos celebramus; debemus enim ex iustitia verba ad mentem contrahentis proferre, ne eum decipiamus.* 4^o *Quando iudici vel praelato legitime interroganti iubemur respondere: debemus enim in sensu interrogantis respondere, vel certe in sensu, quo interrogare deberet.*

Et ad postremum hunc casum pertinet exemplum in allata Proposit. 28^a propositum, tum plura alia, v. gr. si quis ad sacros ordines promovendus interrogetur de natalibus, de irregularitatibus, de censuris, vel si quis volens matrimonium contrahere interrogetur de impedimentis. Neque enim his licet uti equivocatione; sed ea, de quibus interrogantur, sincere fateri debent. Nec obstat, quod durum videatur (ut in cit. Prop. 28^a obijcitur) quempiam ad sui criminis confessionem cogere. Ut enim Viva (loc. cit.) advertit, non exigitur hic confessio criminis ad vindictam, ad quam confessio nem reus, nisi convictus fuerit probationibus, non tenetur; imo nec absolute exigitur, ut quis crimen aut defectum

suum manifestet, sed solum ut a postulatione sua se retrahat; quo scilicet officia seu sacer ordo aut matrimonium indignis cum reipublicae detrimento non conferantur.

(15) De hac re S. Alphonsus (lib. 3. n. 151.): *Certum est et commune apud omnes, quod ex iusta causa licitum est uti equivocatione... et eam iuramento firmare.*

Quaenam autem sit iusta causa, ipse mox (ibid.) sic explicat: *Iusta causa esse potest quicumque finis honestus ad servanda bona spiritui vel corpori utilia. Et rursus (ibid.): Non requiritur causa absolute gravis, sed sufficit quaelibet rationabilis causa, puta ad se liberandum ab importuna et iniusta interrogatione alterius.* Imo (ut subdit cum communi DD. sententia n. 170.) *quando adest iusta causa necessitatis vel utilitatis, potest quis v. i. amphibologus in iuramento etiamsi ad iurandum sponte se offerat.*

Addit denique (ibid.), ex probabiliori sententia veniale esse, si quis id sine causa praestet. Ratio (inquit), *quia in huiusmodi iuramento iam adsunt veritas et iustitia, et deficit tantum iudicium sive discretio, cuius deficientia non est nisi venialis.* Plura autem exempla equivocationum, quae ad praxim subinde faciunt, vide apud eundem S. Alphons. n. 153. ad 167.

(16) Negativam dixeris, v. gr. obligationem, quae in quibusdam hodiernis legum codicibus, suapte indole atheis, imponitur, ne subditi impediunt quaequam in Deum et in bonos mores scelera, quorum nempe